





5. 61. 14.





82.61.14

Kat. 1, 748

D E  
G A V D I O C I V I V M  
E X  
P R I M O R D I I S P R I N C I P A T V S  
O P T I M A E S P E I.

---

B R E V I S C O M M E N T A T I O  
C H R I S T I A N I F R I D E R I C I O L P I I  
A. M. LYC. TORG. RECT. ET LATINI IENENSIVM  
C O L L E G I I S O D A L I S.





**G**entium ac nationum praecipua felicitas cum nascatur, prouehatur ac stabiliatur a bono Principe, cui summa lex est publica salus, haud sane maius arque excellentius beneficium Deus tribuit hominibus, in ciuilis vitae societatem collectis, quam Principem imperii gubernaculis admouendo, qui sapientia, prouidentia, iustitia, benignitate et clementia imitatus caeleste Numen, cuius refert imaginem, cuius in terris usurpat munus, de genere humano praecclare meretur. Stultissimi est, dementissimi, pessimique hominis optare, ab superiore nullo regi ciuitates. Quae quantum florent aequis, principali cura, legibus, tantum Principe destitutas procax libertas miscer, lacerat ac dissipat, vt tum denique sua intelligent, quemadmodum ait ille, bona, cum, quae in potestate habuerunt, amiserint. Tristissima, post hominum memoriam, fuit conditio Germaniae, diuturni atque exitiosi interregni discordia diuexatae. Cum enim, Imperatore Conrado IV rebus humanis exento, per viginti propemodum annos Imperio Germanico deesset augustissimum, quod membra bene regeret, caput, cuncta ruerunt ad interitum voluntarium. Nullis tum comitiis habitis, de salute imperii nihil decerni potuit procerum voce et suffragio, siluerunt leges, foris iudiciisque praecclusis omnia sibi permisit caedibus, rapinis et flammis vndeque faciens vis ac libido. Summum ius quae situm est in summa iniuria; donec Rudolphus I Habsburgicus, communis procerum voluntate imperio sibi tradito, collapsis ac desperatis rebus sapientia succurreret ac fortitudine incredibili,

dibili, qua Germaniae prostrata salus restituta fuit, et nouis quasi propugnaculis obsepta.

Sed quanta aestimatione ciues tum demum metiuntur caelestis beneficii, in bono Principe sibi concessi, magnitudinem, quando rei publicae carent gubernatore, tanto flagrant Patriae Patris desiderio, cum tyranni immanis crudelitate ac saevitia premuntur. Nolumus iam Tiberiorum, Caligularum, Claudiorum, Neronum, Domitianorum, Caracallarum, Elagabalorum, aliarumque generis humani pestium memoriam, facculis omnibus abominandam ac detestabilem, recolere, quarum vel sola nomina

*animus meminisse horret, luctuque refugit.*

Iuuat potius recordari terrarum imperii gubernatorem, sub quo nasci voluit ipsa GENERIS HVMANI SALVS, sub quo ea fuit ciuium felicitas, vt, quemadmodum refert Suetonius, forte Puteolanum sinum praeterneheni veftores nautaeque de naui Alexandria, quae tantum quod appulerat, candidati coronatique et thura libantes, fausta omnia et eximias laudes congererent: PER ILLVM SE VIVERE, PER ILLVM NAVIGARE, LIBERTATE ATQVE FORTVNIS PER ILLVM FRVI. Tam insigne gaudium, ex optimo principatu ortum, ciues felicitatis suae auctori statorique, visendi eius copia sibi facta, produnt. Titum vero Vespasianum, cui tam prolixa fuit et beneficia natura, vt, eodem auctore Tranquillo, non oportere, pronunciareret, quenquam a sermone Principis tristem discedere, vt, diem se perdidisse, dictaret, quo nihil cuiquam praestitisset beneficii, tanta caritate ciues prosecuti sunt, vt in gaudium effusi amorem ac delicias generis humani eum nominarent.

Solet hoc, quo ciues efferuntur, gaudium esse eximum ac praelestiens, quando tales Principem futurum sperant, qualem, voti sui compotes facti, sub felicis, sapientis atque indulgentis imperii primordia cognitum iudicarunt. Est enim ea hominum natura, vt non tristia solum et ingrata, sed iucunda et suavia, cum noua sunt, vehementius moueant affiantque animos, consueta vero ac diutius visitata minus tangant. Quid sole post longam noctem ac tempestates exorientes iucundius? Quid vere hortos ac rura floribus, arbores



frondibus vestiente, auras dulci auium cantu implente, suauius? Sed tamen iste suavitatis ac iucunditatis sensus, diu perceptus, paullatim hebescit consuetudine.

Nec tamen idem plane fit in gaudio, ex primordiis principatus optimae spei concepto. Ipsa spes sic alit augerque pium hoc gaudium, ut gratiam nouitatis vix exuere videatur. Nam ciues non praesentis tantum boni sensu ac dulcedine capiuntur, verum futura etiam bona praesentibus haud minora et leuiora, sed maiora et ampliora, spe delimiti prospiciunt. Quamuis florentes ac beatas ciuitates Princeps relinquat successori, habebunt tamen ciues, quod addi posse iudicent pristinae felicitati, habebunt, quam votis experant, lautiorem adhuc rei publicae conditionem. Quam si crediderint sub novo Principe futuram, spes eminentior, cum spe gaudium impensis arque constantius enasceretur. At vero cum belli, vel cuiuscunque calamitatis imperu percussas ac prostratas prouincias Princeps optimus regendas cappessit, in spem plurimam adducuntur ciues, fore, ut omnia, quae iacent, Patris patriae cura et prouidentia excitentur, et quassata res publica recuperet pristinae dignitatis ornamenta et stabilitatis praesidia. Igitur gaudium haud fluxum et instabile, sed constans ac manens ciuum erectos animos reficit. Quod solet esse, quando est maximum, tunc fieri rei publicae gaudium, vbi Principe optimo clavum imperii aggrediente, prouinciarum iam florentium decus novis statim augetur incrementis, vel afflitarum mala spe citius leuantur. Spei locum hic occupabit fiducia, fiduciae comes fida et perpetua erit laetitia exultans ac triumphans. Talis fere Macedonum erat sub novo, eodemque auspiciatissimo Alexandri M. imperio, qui nihil nisi diuina ope agredi videbatur.

Dignus ciuium spe, expectatione fiduciaque fuit, si quisquam, SERENISSIMVS AC CELSISSIMVS SAXONVM ELECTOR, FRIDERICVS AVGVSTVS. Hvnc ipsa populi felicitas conspicit gubernaculis optimi Principatus assidentem. Habet HIC eminentissimarum, caelo venerabilium, terris admirabilium choro virtutum sti-  
patus, immortalia Patrum ac Maiorum decora, quae complectitur singula, in oculis animoque altissimis radicibus defixa. Exprimit HIC ore, vultu, animo, sermone, factis gentilitias dotes, humani generis

generis delicias, sapientiam, prouidentiam, iustitiam, constantiam, benignitatem, mansuetudinem, clementiam, indulgentiam, Patre Optimo Patriae, Saxonum excelsissimo Principatu multo dignissimam. Cuius quidem AMANTISSIMI PARENTIS PATRIAЕ si adspicias et coram venereris mitissimam placidissimamque maiestatem, diu haereas anceps ac dubius, num caelo Saxoniae sit redditus FRIDERICVS CHRISTIANVS, an solium paternum aequis paribusque virtutibus ornet ac beet FRIDERICVS AVGUSTVS.

Merito igitur et sancto quodam iure Optimum Traianum patria colit ac veneratur cum exteris nationibus in FRIDERICO AVGUSTO, vel potius Principem optimo Traiano infinitis modis meliorem. Titi clementiam in scenam Dresenae haud ita pridem prodisse, accepimus. At Romanorum ille Titus num imago fuerit Titi istius Saxonici? Num diuinas FRIDERICI AVGUSTI virtutes, Saxonum spes ac delicias, expresserit? Sed esto. Prodierit sane priscus ille Titus, vt, vmbra velut apposita, lux Saxoniae exorta clarius et pleno iubare exsplendescat.

Ita quidem bello adhuc, quamuis composito, saucia et misera vastitate patria videt sibi Principem et Patrem diuinitus concessum, qui vulnera solus obliget ac sanet, qui templorum vrbiunque nobilissimarum cadavera in cineres redacta quasi resusciter, atque his splendorem pristinum, immo maiorem, reddat. In nummo apud Begerum, Floro, quem luculentissimum edidit praefatum, Roma galeata cernitur, cum Victoriola, adiecta inscriptione: *Roma renascens*. Ciuium profecto Saxoniae spes et fiducia, in FRIDERICO AVGUSTO reposita, quoties cogitat salutis suaue praesidem ac restauratorem, cogitat autem quotidie, quoties in oculis fert patriae PARENTEM INDULGENTISSIMUM, fert autem perpetuo, toties eius Numine ac beneficio cernere sibi videtur Saxoniam adeo renacentem, eius ut beatus ac florens sub OPTIMO PRINCIPTE status ab Ulysse Homerio videatur depictus. AVGUSTI gloria peruenit ad latum caelum, sicut eximii Regis, qui, Deo similis, in multis fortibusque viri regnans iura sufficeret: ferat autem terra nigra tritica et hordea, graueneturque arbores fructu. Parvunt vero pecudes robustae, flumina praebent pisces ex prudenter administratione, feliciterque degunt populi sub IPSO.



Cuius sensu adspicere felicitatis recreata, caput extollit Saxonia, iudicium exuit ac deponit, gaudium totis venis ac medullis concipit, et quicquid recentis ex auspicatissimo FRIDERICI AVGUSTI principatu animis insidet laetitiae, in publicos ciuium plausus ac sollemnes omnium gratulationes erumpit. Faustissima vero ac laetissima diei lux oboritur nobilissimis Saxoniea vrbibus, qua post tot vota, tot desideria, tot expectationes, INDVLGENTISSIMVM PATRIAE PARENTEM VNA CUM SERENISSIMA CELSISSIMA que AMALIA AVGUSTA PATRIAE DVLCISSIMA PARENTE, sacra sollemnique pompa contigit excipere, VTRIVSQUE maiestatem, verno sole suauorem, coram intueri et venerari, coram testificari ingenitam Saxonibus in Principes suos fidem ac pietatem, coram ius iurandum interponere, sanctissimum obedientiae subiectissimae Optimae Principi pignus, laterum oppositus et corporum eiusdem officii sanctitate polliceri. Vrbes hic suas EXCELSISSIMVM PAR CONIVGVM, PAR PATRIAE PARENTVM, eadem populi gestientis frequentia, eodem plausu ingreditur, quo Romam Traianus ille Plinianus. Non actas quenquam, non valetudo, non sexus retardat, quo minus oculos insolito spectaculo impletat. ILLOS paruuli noscere, ostentare iuuenes, mirari senes, aegri quoque, neglecto medentium imperio, ad conspectum PATRIAE PARENTIS AC DELICIAS, quasi ad salutem sanitatemque, prorepere. Inde alii se satis vixisse ILLIS visis, ILLIS receptis: Alii nunc magis esse viuendum praedicant. Feminas etiam fecunditatis suae maxima voluptas habit, cum cernunt, cui Principi ciues, cui Imperatori milites pariant. Vident reserta tecula ac laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum, qui non nisi suspensum et instabile vestigium capit, oppletas undique vias, angustumque tramitem relictum sibi, alacrem hinc atque inde populum, ubique par gaudium, paremque clamorem. Tam aequaliter ab omnibus ex aduentu EORVM laetitia percipitur, quam omnibus veniunt. Quae tamen ipsa cum ingressu EORVM crescit, ac prope in singulos gradus adaugetur.

Indulgentissimum PAR PRINCIPVM AC PARENTVM vario cultu ornatunque ordines ciuium omnes, aetas omnes occurrentes sibi conspicit, dulci ac blando pietatis et gaudii certamine contendentes atque aemulantes, et quod quisque maxime potest, sanctissimi ac perpetuo

petuo mansuri officii pignus afferentes. **VTRIQVE** circumspiciunt ingentem plaudentis ac gestientis populi multitudinem, oculis ac vultu spirantibus maiestatem, cuius adspectum ciues reuereantur, non reforminent, cuius effusa caritate lacrimis, quas intimus venerabundae pietatis affectus ultro profundit, nemo temperet. Ita **SERENISSIMO FRIDERICO AVGUSTO**, sed longe maiorem in modum, accedit, quod Alexandro M. eius Macedones, teste Curtio, haud facile dictu est, practer ingenitam illi genti erga Reges suos venerationem, quantum vel admirationi dediti fuerint, vel caritate flagraverint. Ingenii enim dotibus et animi artibus, ut pariter carus et venerandus esset, efficerat.

Torgauia quanto accensa fuerit desiderio, **PATRIAE PARENTEM OPTIMVM**, una cum **SERENISSIMA AMALIA AVGUSTA** coram venerandi, ac laetitiae exsultantis affectum **VTRISQVE** significandi, praestita maxime sollemnitas ac religiosissimi iuris iurandi fide, ipsa sibi testis est. Vel hoc nomine vulnera continent Martis impetu ac furore ipsi illata recrudescunt. Sed fidem, sed obsequii pietatem, qua nec fidissimae ciuitati quicquam concedit, non belli vis eripere, non ruinae ipsius caeli prostertere, non laedere, non minuere villa ex parte possunt. Conspirantibus omnium desideriis ac votis pro salute atque incolumentate **FRIDERICI AVGUSTI, AMALIAE AVGUSTAE** ac **CELSISSIMAE DOMVS SAXONICAE** quemadmodum Saxoniam iam aris aduoluitur, ita Deo immortalis, cuius nutu ac munere datus nobis est **PATER** atque **PRINCEPS**, eius officij multo sanctissimi, multo suauissimi atque exoptatissimi, publice priuatimque Torgauia exsoluit religionem, Diei, qua data est **OPTIMO PRINCIPI** fides, memoriam aeternis condit fastis, et monumenta huic statuit, quae nulla umquam longinquitas deleuerit.

Eiusdem officii sanctitate duela penitus et permota, schola etiam nostra diei huius, et sibi multo laetissimae, multo auspiciatissimae, memoriam sollemni pietate celebrabit.

Vir Praenobilissimus ac Doctissimus, **M. CAROLVS HENRICVS SINTENIS**, Lycei Conrector meritissimus, de felicitate ciuium ex felicitate Principis, luculentam, gallica lingua orationem habebit. Sociam magistro pietatem adiungent tres multae spei iuuenes.

IOAN-





IOANNES GUILIELMVS DEMISCH, Torgauiensis,  
dicet latino sermone *de officio scholarum in Principem sanctissimo*, tum  
grati animi officium, scholae dicturus vale, breui carmine germanico  
faciet testatum.

IOANNES SALOMO CVNO, Torgauiensis,  
Ode germanica pinget *immanem tyranum*, quo dulcior appareat ac  
venerabilior

*Patriae Patris imago*, quam versibus germanicis referet

IOANNES CHRISTIANVS LIEBSTEIN, Torgauiensis,  
ac DEMISCHIO discessum e schola felicem ac faustum gratulatus huic  
aetui sollemni coronidem imponet.

VIRI ILLVSTRES AC GENEROSISSIMI, VIR SVMME VENERA-  
BILIS, EPHORVS SCHOLAE GRAVISSIMVS, PATRES CONSCRIP-  
PTI SPLENDIDISSIMI, SACERDOTES PLVRIMVM REVERENDI,  
aliique Ordines suo quisque gradu colendi, cum summa in  
OPTIMVM PRINCIPEM ac PATRIAE PARENTEM  
reuerentia et pietate certent inter se, vix rogandi locum nobis relin-  
quunt, vt, schola nostra cras, peractis sacris matutinis, laetissimi  
sanctissimique partem officii faciente, frequentes adsint, suamque in  
audiendo benevolentiam verba facturis declarent. Scrib. Torgauiae,  
die x. Octobris, A. O. R. cIɔIɔCCLXIX.

---

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

ACAD. A TYPIS.



Po 3514 OR

n. c.



**ULB Halle**  
007 490 712

3



SWD



Kat 1, 748

D E  
G A V D I O C I V I V M  
E X  
P R I M O R D I I S P R I N C I P A T V S  
O P T I M A E S P E I.

B R E V I S C O M M E N T A T I O  
C H R I S T I A N I F R I D E R I C I O L P I I

A. M. LYC. TORG. RECT. ET LATINI IENENSIVM

C O L L E G I I S O D A L I S.



B.I.G.  
Black

